



PROJECT MUSE®

---

Gratiarum Actio: Habuit Beniamin Victor in Vniversitate  
Montis Regii Professor ad Societatem Canadensem Studiorum  
Antiquorum A.D. X Kal. Iun. A<sup>o</sup>MM<sup>o</sup>VII<sup>o</sup>

Mouseion: Journal of the Classical Association of Canada, Volume 7,  
Number 1, 2007, LI—Series III, pp. 99-100 (Article)

Published by University of Toronto Press  
DOI: <https://doi.org/10.1353/mou.0.0009>



➔ *For additional information about this article*  
<https://muse.jhu.edu/article/238074>

GRATIARUM ACTIO  
HABUIT BENIAMIN VICTOR  
IN VNIVERSITATE MONTIS REGII PROFESSOR  
AD SOCIETATEM CANADENSEM STUDIORUM ANTIQUORUM  
A.D. X KAL. IUN. A. MM·VII·

Rogatus ut gratias ob ea quibus his diebus usi simus commoda latina, ut mos sit, oratione persoluam, id munus libenti animo suscipio, utpote de meritis tam manifestis dicturus. unum illud submetuens, ne lingua obstet quin mea uerba intellegantur, pro uiribus nitar ut omnem syllabam clare pronuntiem; uobis autem spero opus non fore nisu ut oratiunculam meam capiatis.

Doctores Vniuersitatis Memorialis, quorum in cura est antiquitas Graeca Romanaque, nominare uelim in primis, Georgium Robertson dico et Catharinam Simonsen et Brad Levett necnon Craig Maynes ac Tanam Allen, quae in apparando uel maximum onus in se recepit. his plures discipuli aliique suam operam gratis praestiterunt, inter quos Amber Porter, Catharina Kieley, Clara Goobie, Gabriel Piller, Alexander Mugford, Alanna Ranger, Castitas Wickens, Iulia Giles, Sophia Dold, Iosephus Basha, Adam Goodwin, Lia Montgomerie, Alanus Boulos, Devin Dwyer, Nadine Hodder, Lynette Fischer, Kayla Hearn. nec memoria minus dignum est decanos artium et studiorum superiorum uicepraesidentemque academicum suas copias aperuisse ut omnia recte ac commode fierent.

Quibus hominibus gratiae habeantur iam, credo, absolui; restat ut exponam cur omnino habendae sint. non ea requiro quae plana sunt et bene nota: quis enim nescit quid sit negoti conuentum instruere, plus centum disputationum epitomas legere et digerere, locos et tempora assignare, oratores auditoresque hilare et copiose accipere neque utique plus erogare pecuniae quam facultates patiantur? immo propero ad difficiliora scitu: quid hic nobis conuentus prodest, aut quem ex eo fructum capimus? an ne ob nullam aliam causam quotannis conuenimus, quam ut inuicem doceamus et doceamur? omnes hinc doctiores abituros esse non nego; at tamen fatendum est sibi quemque plus doctrinae per idem tempus colligere potuisse e quauis uel mediocri bibliotheca. qui rem diligentius scrutari uelit, haec cogitet: Canada terra immensa est, cuius per uastitudinem perpauca homines eruditi disperguntur et disrarantur, nec sane multi sunt intra fines nostros loci, ubi facilius uiro docto quam lupo uel urso occurratur. praeter nos ipsos uix quemquam ibi inuenies, cui studia nostra quoquo modo cordi sint

aut qui nobis omnino bene uelit; tum nimis crebro fit in uniuersitatibus ut tota antiquitatis disciplina doctori uni profitenda tradatur, atque etiam in amplioribus ea saepissime non plus quattuor aut quinque committitur resque omnes in singulos describuntur, ita ut unus instituta gestaue Graecorum accuret, unus Romanorum, unus iuuentutem sermone Attico instruat, unus Latino. quae cum ita sint, hanc quam uidetis frequentiam nihil est cur miremini, quippe qui plerique nostrum soli ac quasi deserti sibi uideantur, eoque magis sic sentiant quos studia aliquanto reconditiora detinent, ut puta papyrorum uel nomismatum scientia. nemo, mihi credite, sibimet adeo sufficit ut eum iuuet humani congressus expertem laborare neque umquam alium coram uidere doctrina parem studiisque congruentem. in hanc uero spem congregamur, ut breuis inter nostri similes conuersatio longam solitudinem aliquantum compenset, quae causa nec parua est neque ullo modo contemnenda. occasione ergo congregiendi uidendi audiendi confabulandi dum poterimus fruamur, ea bene fructi laetemur, laetati denique gratias agamus omnes.